



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 21 [i.e. 22]. Martyres Anagniensens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

tum est ex epistola, ipsius obitus die data, & ad ipsum, tanquam si viveret, directā; hæc Simpliciano, Successori ejus reddita, & sollicite asservata. S. Ambrosius Florentiæ quoque visus est, juxta promissum illis factum, qui eum rogabant, ut sæpe ad eos inviseret. Sæpe ante Basilicæ Ambrosianæ Altare, quod ipse extruxerat, orare conspectus. Hoc factum Paulinus in vita S. Ambrosii refert, S. Zenonis Episcopi Florentini testimonio fretus; scripsit vero hujus Sancti viri vitam aliquot post ejus obitum annis, S. Augustini precibus motus; pleraque suis oculis viderat, alia a S. Marcellina Ambrosii Sorore, pluribusque fide dignis testibus didicerat.

Sæculum IV.
A. C. 397.

n. 50.

n. I. 56.

§. XXI.

Martyres Anagninenses.

Sanctus Simplicianus initio Episcopatus sui epistolam a S. Vigilio, Episcopo Tridentino, ad se datam accepit, qua Martyrium trium Clericorum, Sisinnii Diaconi, Martyrii Lectoris, & Alexandri Ostiarii, a barbaris vicinorum montium incolis occisorum, referebatur. Sisinnius exapud Ruin. Græcia venerat, natus in Cappadocia (*) *Acta Mart. Sinc. p. 648. p. 690.* nobili genere, jamque ætate gravis. Ipse primus his Barbaris Evangelium prædicavit,

(*) Forte legendum, ex Asia venerat.

Sæculum IV. cavit, & quamvis esset pauperrimus, ex
A. C. 397. suo tamen in illa Regione Ecclesiam ædi-
 ficavit. Martyrius, relicta Sæculi mili-
 tia, & Parentum chara societate, bap-
 tizatus, & ordine Lectorum insignitus, pri-
 mus apud barbaram gentem laudes Divi-
 nas canere auditus est; operibus spiri-
 tualibus, & jejuniis assidue intentus.
 Alexander Martyrii frater erat. Omnes
 tres in celibatu vivebant. Locus, ubi
 prædicabant Evangelium, Anagnia, seu
 Anaunia dictus, viginti quinque stadiis,
 seu una leuca ab urbe Tridentino distans,
 in montium angustiis situs erat. Post-
 quam diu efferorum hominum insultus
 tulerunt, tandem hac occasione Marty-
 rio affecti sunt. Pagani, mense Mayo
 exeunte, cum pompa profana agros suos
 circuire solebant, ut eos, sua quidem su-
 perstitione, lustrarent, & jactis semini-
 bus Deorum suorum favorem expete-
 rent. Coronati incedebant, Deorum
 laudes concinentes, sequentibus, quæ ri-
 te immolarentur, victimis. Cum Chri-
 stianorum aliquem, nuper conversum, co-
 gere vellent, ut e suis quoque stabulis vi-
 ctimas daret, & Sisinnius prohiberet, gra-
 vi vulnere afflictus est. Altera die sum-
 mo mane adsunt Pagani, fustibus, ascis,
 aliisque agrestibus armis muniti, facto
 impetu in Ecclesiam irrumpunt, ubi Cle-
 rici preces matutinas decantabant; om-
 nia

nia perscrutantur, diripiunt, Sacra My-
 steria profanant, Ecclesiam demoluntur. Sæculum IV.
 A. C. 397.

Sisinnius Diaconus in lecto jacebat, vul-
 neribus debilis, iterum ut eorum Sacri-
 ficia probaret, instant, tubam, qua ad
 Deorum cultum plebem ciere solebant,
 renuentis capiti illidunt, ac securi trucu-
 lenter mactant; Martyrius apud eum
 stans a ferocibus inventus est, vulnera
 ejus alligans, & haustum frigida porri-
 gens, ut refocillaretur, cum jam jam ani-
 mam agentem videret; tum in hortum
 Ecclesiæ contiguum fugiens, a puella,
 horti Domina, proditur; captus igitur,
 in capite vulneratus, & stipitibus acutis
 perfossus, cum ad Idolum traheretur, in
 via extinctus est. Inde furentes Alexan-
 drum perquirunt, omnibus notum, quia
 januam Ecclesiæ custodire solebat; hunc
 in domo sua comprehensum, medium in-
 ter duorum Martyrum corpora alligant;
 in S. Sisinnii collo tintinnabulum appen-
 dunt, quale pecoribus injici solet, insul-
 tando dicentes: *jam ulciscatur se Chri-
 stus!* Alexandrum medium inter duo ca-
 davera pedibus innexum, per aspera via-
 rum usque ad templum Saturni raptant,
 ubi, pyra ex lignis destructæ Ecclesiæ ere-
 cta, duorum corpora, ipso inspectante
 combusserunt, jubentes, ut, si flammæ
 vellet effugere, sacrificaret; tandem con-
 stanter sacrificare recusantem interfi-
 ciunt.

Hist. Eccles. Tom. V.

F

ciunt.

Sæculum IV. ciunt. Magnus Christianorum numerus
A. C. 397. huic spectaculo adfuit, quibus Infideles
 non nocuere, nisi quod defectionem a
 Deorum cultu exprobrarent. Tres San-
 cti Martyres Martyrium passi sunt die Ve-
 neris 29. Maji, ex quo sequitur occisos fu-
 isse anno 397. quo Littera D. Dominica
 lis erat.

Aug. epist. Martyrum interfectores comprehensi,
 139. al. 158. debitas crudelitatis pœnas luissent, nisi
ad Marcel. Christiani reis vitæ gratiam postulassent
 n. 2. ab Imperatore, qui facile, quod rogaba-
 tur, concessit, ne pœna de latronibus
 sumpta in Sanctorum Martyrum contu-
 meliam verteretur. Reliquiæ eorum
 Mediolanum allatæ sunt, atque conjectu-
 ra est, tunc, cum mitterentur, S. Vigilius
 ad S. Simplicianum hanc, quam habemus,
 epistolam dedisse. Eodem tempore ex
 ora Dalmatiæ Mediolanum venerat homo
 cœcus, qui feretrum, in quo portaban-
 tur Reliquiæ, tangens, visum recepit;
 is narrabat, se nocturna visione conspe-
 xisse navem appelli in littore, quo pluri-
 mi viri, albis vestiti, consistebant, illis in
 littus descendantibus, rogasse se unum de
 turba, ut, quinam isti essent, doceret,
 sibi que fuisse responsum, Ambrosium esse,
 & socios ejus; audito Ambrosii nomine,
 inquebat, orasse se, ut sibi visum restitue-
 ret, & sibi dixisse Sanctum: *Mediolanum*
vade in occursum fratrum meorum, qui
tali

tali die illuc pervenient, & lumen reci- Sæculum IV.
A.C. 397.
pies. Ipse, quamvis nunquam Mediola-
 num ivisset, tamen illuc recta via se con-
 tulit. Aliquo post hæc tempore S. Vigi- Boll. 29.
Maji &
Ruin. p.
686.
 lius Tridentinus epistolam ad S. Joan-
 nem Chrysostomum, tunc Episcopum
 Constantinopolitanum, de istorum Mar-
 tyrum passione dedit, quando Comes
 Jacobus Reliquiarum partem secum in
 Orientem tulit. Ipse S. Vigilius Barba-
 rorum manibus Martyrium adeptus est,
 qui S. Episcopum lapidibus obruerunt,
 sexto Calendas Julii, Stilicone Consula-
 tum gerente; hic primus ejus Consula- Ufuard.
Mart. For-
tun. i. carm.
c. 2.
 tus fuisse creditur, ideoque annus 400.
 & dies 26. Junii. S. Gaudentius etiam
 Brixienſis Reliquias horum Martyrum
 Anagninensium accepit, ut ipse in sermo-
 ne, ad Festum 40. Martyrum pronuntia-
 to, testatur; præter hos 40. Martyres hom. 17.
 decem alios enumerat, quorum Reli-
 quiis ejus Ecclesia decorabatur, nimi-
 rum Sanctum Joannem Baptistam, S. An-
 dream, S. Thomam, S. Lucam, S. Ger-
 vadium, S. Protasium, S. Nazarium, S. Si-
 sinnium, S. Martyrium, S. Alexandrum,
 quos ait ante breve tempus in loco,
 quem Agathini aram vocabant, Marty-
 rio affectos.